

Specimen Academicum
De
Scepticismo Historico.

Cujus

Partem Priorem;

Conf. Facult. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,

Præside

**M. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,**

*Eloqu. Professore Reg & Ord. Reg. Acad. Litt. Human.
Hist. & Antiquit. Membro,*

Pro Gradus

Publicæ bonorum censuræ submittit

JOHANNES BONSDORFF,

Wiburgensis,

In Auditorio Majori die XVI Junii A. MDCCXCII,

Horis ante meridiem solitis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS,



§. L.

Et si multis præclaris dotibus, quibus dignitatem suam tueri possit, animus humanus instructus esse reperitur; simul tamen hæc eidem inhæret imbecillitas, ut facile in errores, a præjudicatis in primis opinionibus ortum ducentes, rapi se patiatur; quibus quo diutius mentem obsidere licet, eo altius penetrant, eoque vehementius in illam imperium exercent: quare magni momenti est res, ut animus, bona institutione ac diligentis attentionis exercitio ita præparetur, ut auctoritas illarum quantum fieri possit, infringatur. Quod quidem ad præclarum consilium adjuvandum, *Sobriam Dubitationem* vehementer conducere, non est ut multis demonstremus; quippe cuius vim in universo scientiarum campo, in primis vero in Philosophia, omnes qui rem curatius perpenderunt, ultro agnoverunt. Quod in primis ad Historiam, quæ nobis jam proprius consideranda venit, attinet; tantæ utilitatis, imo necessitatis momento, sobria dubitatio fæse commendat, ut ea neglecta, parum laudis præ fabulis & commentis, illa sit habitura. Dubitatio autem hæc, ut *sobrie*

3

brie institui possit, duo quasi scopuli diligenter sunt evitandi, ac cavendum, ne alterum evitaturi, in alterum incidamus: nimirum, ne aut nimis parum, aut nimis multum dubitemus. Quod tenendum erit tam quoad facta ipsa, de quibus narratio instituitur, quam quoad scriptorum de iis caussisque ac effectibus eorum, *judicia*; quorum illud tamen genus, magis disquisitioni nostrae materiam præbebit. Illi vitio obnoxii putandi sunt, qui absque ullo fere instituto examinè, quæ ab aliis vel dicta audiverunt, vel scripta legérunt, vera mox certaque habent, nec mentem ad contrarias expendendas rationes unquam flectunt, veritatis exquisitus investigandæ aut stabiliendæ sic incuriosi; ex qua negligentia, & levitate eveniat necesse est, ut falsa veris miscendo, tenebrasque sæpe eventibus offundendo, studio Historiæ plus noceant, quam prospicent. Qui vero dubitationem ultra justos extendunt limites, omnia fere, etiam ab auctoribus idoneis tradita, sine discrimine in dubium revocantes, eo minus audiendi sunt, quo certius constat, eos vano scepticismo indulgentes, morbo potius quodam animi laborare, quam veræ Philosophiæ studio, cuius tamen sibi laudem tribui volunt, obsequi. Nihil relinquentes, ubi consistat animus, veritatem nullam venerantes, ad quam consilia nostra tuti conformemus, errorem fovent desiderio, tranquillitati & felicitati humanæ, mentis nostræ indoli & viribus, progressuque omnis cognitionis artiumque liberalium omnium, repugnantem atque inimicum;

cujus vanitatem atque noxam, ea ex parte quæ Historicam attingit veritatem, cum in animum induxerimus, pro virium modulo, levi penicillo delineare; speramus, juvenilibus nostris conatibus, pro optimâ caussâ pugnantibus, favorem & æquanimitatem B. Lectoris denegatum haud iri.

§. II.

Scepticismum igitur, quem nuper descripsimus, ut in reliquis scientiis & artibus, ita in Historia, valde esse noxiū, vel inde in universum patet, quod omnem, quem Historia suis cultoribus pollicetur usum, tollat plane atque obstruat. Quandoquidem enim Historia, ideo utilissima ars & laudatissima habetur, quod & honesta præclaraque & turpia hominum facinora nativis suis coloribus depieta, tanquam in tabula intuenda præbet & ante oculos ponit; quod luculenter docet, quid illa ad auctores suos perficiendos ac beandos, hæc ad eos labefactandos ac perdendos valuerint; quod exiguum & mancam nostram experientiam, antecedentium temporum atque seculorum exemplis supplet & instruit; quod hinc errores & pernicioſa consilia, fucata saepe facie fallentia cavere, & salutaria sapientiaque sequi, feliciter discamus, præceptaque prudentiæ omnis generis inde haurire & nobis formare valemus: abunde perspicitur, omnem hunc Historiæ fructum, omnemque vitæ sapienter instituendæ rationem evane-

vanescere, si firmo veritatis fundamento convulso,
 ad meras conjecturas, dubiam famam, & inanes
 quasi species umbramque omnia fuerint redacta.
 Egregia facta bonos ad gloriam laudesque sectan-
 das, ad praeclara consilia suscipienda, excitare non
 valebunt; nec e contrario, nefanda scelera, perpe-
 tuæ infamiæ metu animos quasi repellent, & a se-
 fe alienos reddent. Nemo vitae degendæ, nemo con-
 filiorum capiendornm rationem, incertis exemplis,
 vanis regulis superstruere, aut audet aut curabit.
 Si Historiæ sua non constet veritas, quomodo ad ex-
 perientiam superiorum temporum & populorum pro-
 vocabimus? Quem, ex tot civitatum initiis, progressi-
 bus & occasu, quantumvis accurate depictis & cognitis,
 fructum ad doctrinam & prudentiam, nobis compa-
 rabimus? Imo speculum Divinæ Providentiae salu-
 tari, Historia non amplius merebitur; vestigia fapi-
 entiae Numinis, potentiae ac bonitatis summæ, in
 continua generis humani sustentatione ac regimine
 conspicua, suppeditare nobis porro non poterit!
 Verbo, nulli rei, nisi animis hominum otiosorum i-
 nani delectatione pascendis, inferviet; tota vita hu-
 mana, tot seculorum fata, instar somnii perpetui e-
 rrunt consideranda. Quam tristis, quam vana, quam
 que turpis animo nostro objecta species! Nec omnis
 modo utilitas, sed vera quoque & constans fuitas
 Historiæ, una cum certitudine ejus pereat necesse
 est; juxtaque ex gravi hac jactura cæteris etiam
 scientiis magna clades, multæ turbæ atque ingentes
 tenebræ, inferentur.

§. III.

Malis scepticis Historici breviter expositis, inquidendum porro in fundamenta ejus, sive illa potius, quibus veritas Historica nititur, paucis videtur. Ipsi infastæ hujus opinionis patroni, Historiæ fidem ideo dubiam esse contendunt, quod fabulis, conjecturis & commentis ita permixta sit atque corrupta, ut verum a falso discernere, dubia a certis distinguere, nullo studio nullaque arte liceat. Quibus etsi concedendum sit, multa occurrere in Historia, antiquiore in primis, clara veritatis luce destituta, multas ei asertas esse vanas lacinias, multa falsa afficta fuisse atque intrusa; inde tamen magis colligere haud licet, omnem Historiæ fidem vacillare, quam aliis quibuscumque artibus, operibus, consiliis humanis admixti nævi & errores, omnem illorum laudem pretiumque infringunt ac destruunt. Male igitur a particuliari, ut dicitur, concludunt ad universale. Historia enim multas res tradit, quæ evidentissimis veritatis signis confirmantur, ita ut nulla omnino sit causa de iis dubitandi. Testimoniiis & argumentis talibus saepe innititur, quibus nemo sanus in vita communi fidem non tribuit: qua spreta, quotidiana & universalis humani generis experientia, quam fidissimam vitæ magistram omnes agnoscimus, simul esset spernenda. Ubi nulla adest ratio, cur aliorum hominum, vita integerrima sapientiaque & judicij perspicacia conspicuorum fidem in dubium vocemus; ibi testimonio illorum, æque ac nostræ experientiæ, confidere tuto licet.

Quo-

Quoniam vero plures sunt veritatum gradus, memini-
 nisse debemus, res quas enarrat Historia, non omnes
 ejusdem, hoc respectu, momenti esse habendas.
Certitudo, quæ altissimus est cognitionis gradus, iis
 est narrationibus tribuenda, quarum veritas omnium
 oculis ita obversatur, ut nulla in eas falsitatis suspicio ca-
 dere possit, sive, ut sanus nemo dubitare de iis que-
 at. Cavendum vero, ne *Historicam Certitudinem* ad
Metaphysicam illam sive *Mathematicam* exigamus;
 quippe quæ aliis prorsus est indolis ac generis. Ut
 hæc *Metaphysica*, ita illa *Morali* fundatur oppositi,
 ut Philosophi nostri docent, impossibilitate: hæc, ide-
 arum ad se invicem habitum respiciens, sola ratio-
 nis & intelligentiæ vi cernitur; illa, ad res existen-
 tes pertinens, ad quarum cognitionem sensuum ope-
 pervenimus, consentiente horum auctoritate & con-
 stanti experientiæ testimonio nititur. In rebus au-
 tem, ubi hanc *certitudinem* tuto assequi non possumus,
 non ideo mox erit de veritatis causa desperandum,
 sed in *probabilitate*, altero cognitionis gradu, acquie-
 scandum. Nimis enim arctis, ambitus cognitionis
 nostræ limitibus circumsciberetur, si non nisi plena
 certitudine cognoscendas amplecteremur veritates.
 Probabilitas autem, cuius mentionem fecimus, iis
 tribuenda est rebus, quæ, licet certis quidem & in-
 dubiis argumentis demonstrari haud possint, plura
 tamen veritatis quam falsitatis signa offerunt; unde
 simul patet, quid e contrario improbabile sit haben-
 dum. Cumque nobis de *Historica probabilitate* jam
 audiup
 fit

It sermo, eam in facti sive internam, & scriptoris sive externalam, recte dispisci observamus: quarum utraque ad fidem gignendam valde est necessaria. Illa locum habet, si res nihil continere videtur repugnantiae, nec ratione temporum & locorum quibus eam accidisse asseritur, nec ratione morum & institutorum, e. f. p. quibus populum illum, ubi res acta fuisse dicitur, usum fuisse constat. Alterius generis probabilitas (s. scriptoris) adest, si idoneae confirmant rationes, scriptorem veritatem & scire potuisse, & dicere ingenue voluisse. Si vitam humanam spectamus, facile apparet, in plerisque rebus, illam probabilitate magis quam certitudine cognitionis nostrae quotidie regi, ac licet ad summum illum scientiae gradum adspirare, quantum infirmitas virium nostrarum permittat, & debeamus & conemur; tamen non contingit nobis, eum semper attingere. Nempe res futuras consilia & molimina nostra fere respiciunt; quarum exitum, prudens

Caliginosa nocte premit Deus:

unde probabilitate rationum, contenti plerumque esse & cogimur & debemus. Probabilitas autem hæc, de qua loquimur, Historica, plures illa rursus habet gradus; quos, ubi pugna rationum existit, diligenter considerare, & inter se conferre, gravioribus semper potiorem datus fidem, nos oportet. Quæ omnia accuratius fusiusque exponere, consilium nobis præstitutum, jam non permittit. Argumenta vero, vel quibus

quibus Historicus ad narrationem suam confirmantur utitur, vel quæ lector prudens atque diligens, ad eam examinandam adhibet, duplices sunt, ut probabilitas ipsa, generis & naturæ: quædam nempe, ex ipsa rerum quæ narrantur natura, quædam ex hominum, qui vel ipsi factis adsuerunt, vel testimonia illorum exhibent, auctoritate atque fide pendent. Illa *interna* sive *Philosophica*, hæc *externa* sive proprie *Historica*, hinc vocari solita; quæ tamen, amica adeo societate conjuncta haberi debent, ut neutris abesse, multo minus inter se pugnare liceat. Unde, in omni narratione æstimanda, duo ponderanda esse momenta, recte præcipiunt harum rerum arbitri; prius, utrum narratio vel in se, vel respectu aliarum rerum fide explorata nixarum, possibilis sit? Deinde, an fide dignis confirmetur testimoniosis? Quæ ubi in alterutram partem, amice conspirant, de veritate vel falsitate rei, nullum debet nos angere dubium; sed si *Philosophica* illa argumenta externis adversantur, nullaque ratione cum iis conciliari possunt, fides narrationis illico corruat necesse est. Cavendum vero, ne temere, vel præ ignavia, vel partium studio abrepti, judicium de his rebus exerceamus: in quam culpam incidunt, ab una parte, qui auctorati testium nimis tribuentes, res quasque absurdissimas sibi persuaderi finunt, ab altera parte, qui res haec tenus sibi incognitas, insolitas, atque mirabiles, præcipitanter mox explodunt & pro impossibilibus habent: Principi illi Indorum similes, qui Europæos, a-

quam in sua patria glacie nonnunquam obtegi narrantes, tanquam impudens mendacium dicentes e conspectu suo abire jussit: quo non minus turpe peccatum commisit magnus Historiae Naturalis auctor, qui fidem laudatissimorum auctorum, Lepores in terris septentrionalibus colorem pilorum mutantes, adventante hieme albescere docentium, tanquam experientiae (suæ!) contrariam, contemnere ausus est. Externorum argumentorum aestimationem, & a dexteritate & a sinceritate testium cognita atque confirmata pendentem, recte atque accurate instituere, scriptores Logici docent, cautelasque hac in re observandas sollicite explanant; quorum præceptionem hoc loco repeterem, nimis longum foret: neque defunt auctores idonei, qui ex instituto diligenterque hoc argumentum tractarunt (a).

§. IV.

(a) Cfr. ex gr. JO. AUG. ERNESTI *Diss. de fide Historica recte estimanda*, Lips. 1746, 4:o, & in Ejusdem *Opu sculis Philol.* p. 64 seqq. JO. JAC. GRIESBACH *Diss. (Præf. Stiebrixio) de fide Historica, ex ipsa rerum, que narrantur, natura judicanda*, Halæ Magd. 1768, 4:o; HENR. GRIFFET *Traité des différentes sortes des preuves, qui servent à établir la vérité de l' Histoire*, Liege 1773, 8:o; pluresque alii, quos enumerat MEUSEL *Biblioth. Histor.* Vol. 1, Part. 1, C. 1, p. 13. seqq. Quibus addere Dissertationes possemus plures, in patriis Academiis de hoc argumendo editas, ex gr. Gerb. Hällberg *Diss. de fide Historica (Præf. Alg. Scarrin)*, Ab. 1748, 4:o, &c.

§. IV.

Certitudo, vel Probabilitas saltem, Historica ut
enascatur, temeritasque & cœca assensio effugiatur,
(quam Historicæ veritati, haud minorem, quam in-
tempestivum Scepticismum, intulisse cladem, constat),
Dubitationem Sobriam Historico esse necessariam, su-
pra monuimus: sed hanc *laboris diligentia* comitari
debet, non modo in *materia ac subsidiis* undique *colli-
gendi*, sed etiam *judicio acri & severo* considerandis,
conferendis, interpretandis & æstimandis, conspicua.
Verbo, *Crisi opus est Historica*; quæ *Scepticismo* intem-
pestivo adeo non favet, ut potius patronis ejus, ve-
ritatis fundamenta solida reddendo, prætextus & tela
adimat. Hinc & necessitas & indoles *Demonstrationis
Historicæ* facile deducitur: quæ ab *teste oculato*, dex-
teritate & fide sua ostendenda, testimoniisque con-
temporaneis, documentis ac diplomatis confirman-
da; ab *aurito* fontium diligenti indicio, examine & æ-
stimatione faciendis, usque eorum prudenter adhi-
bito, peragitur. In utroque magni momenti est, ut,
quoties ad aliorum auctoritatem, ad testimonia, scri-
pta & monumenta provocat, illa non perfundorie,
sed accurate, loco, ubi habentur, diligenter indicato,
aut verbis ipsis, quoties opus fuerit, fideliter exhibi-
tis, afferat. Non jam de compendiis, aut libellis in
tironum vulgīe usū editis, loquimur, res commu-
niter agnitas & satis antea discussas, proponentibus;
sed de operibus exquisitioribus ac gravioribus, ubi
omnia diligentissime excutienda & confirmando sunt.

B 2

Quam-

Quamobrem haud possumus ineptam quorundam auctorum (Gallorum præcipue) licentiam probare, qui narrationes suas non modo nullis documentis nullisque testibus adductis confirmant, (quasi aut Historiam scribere fabulasque Romanenses concinnare, idem esset, aut *infallibilitatis*, ut Pontifici Romano, *privilegium* sibi cælitus esset concessum, ac cœcæ *implicitæ* que, quam vocant, fidei officium lectoribus suis omnibus incumberet!) sed etiam hanc audaciam, ratiunculis quibusdam prolatis defendere non verentur, adeo quidem levibus ac ineptis, ut seria dignæ non sint refutatione. Dicunt ex gr. paginarum nitorem, testium citandis locis fœdari; fugere sese ostentationis ac putidæ cujusdam diligentiae speciem &c. Quidni potius fatentur, id quod verum est, vereri se, ne ignorantia sua, negligentia, temeritas aut singendi audacia deprehendantur (a)? Talibus igitur Historiis nemo sanus fidem facit.

(a) Inter recentiores patriæ Historicos, nemo facile hunc Gallicum morem, aut adoptavit audacius, aut defendere sustinuit protervius, quam RUYZELIUS, qui in Præf. *Episcoposcopie*, p. 15, §. 18 dicit: Och man här icke therföre twifla om fanningen, at inge Auctorer citeras, eller theras ord och utlåtelser finnas anfördé. I theſt ställe kan man fallswiſt försäkra, at intet här om rågon berättas, hvarom man icke haft för sig trowårdig berättelse eller ejest pålitelig wiſhet. Scilicet neque falli ille potuit, nec ab ejus licet judicio discedere! At quam multa tamen vel dubia vel falsa veris immiscesse, deprehensus fuit! Unde & utilitas & auctoritas & laus operis sui, magno ceterum labore collecti, vehementer imminuta fuit.

facile tribuit: nec mirum est, si lectores suos in Scepticis
 eis non paucos impulerint. Veteres, quorum ad
 exemplum provocant, multo facilius excusandi sunt,
 quod neque artem habebant typographicam, cuius bene-
 ficio libri monumentorumque collectiones multo & fre-
 quentiores & facilius consulendae hodie sunt; neque ta-
 men illi testes documentaque laudare plane neglexerunt:
 cuius rei exemplum plurima apud LIVIUM, DIO-
 NYSIUM *Halicarnassensem* &c. occurunt; qui ad Senatus
 Consulta, Inscriptiones, Tabulas, Libros diurnos, Numos,
 in suis scriptis provocant, ac ipsa nonnunquam monumen-
 torum verba adferunt. Nec aequem semper necessarium
 fuit veteribus, de rebus saepe scribentibus publice
 gestis, quibus ipsi interfuerant, quarumque idonei o-
 mnino erant testes, narrationes suas testimoniis plu-
 ribus confirmare. Alia autem ratio nostrorum est
 plurimorum Historicorum, umbraticorum plerumque
 hominum, qui de rebus scribunt a suis negotiis val-
 de alienis. Civitatum praeterea antiquarum, in qui-
 bus maxime litterae florebant, utpote liberarum, ea
 fere fuit ratio, ut veritatem aperte proferre, minus
 reformidarent scriptores; quorum opera, nonnisi ca-
 lami ope divulganda, facilius quoque celare, si neces-
 sarium videretur, licuit, quam hodie, cum artis im-
 pressoriæ ministerio celerrime vulgantur. Quamquam
 negatum tamen haud volumus, libertatem ab homini-
 bus sub Despotica tyrannorum potestate viventibus te-
 mere adhibitam, male illis olim quoque haud raro ces-
 sisse: quod de *Cremutio Credo, Aruleno Rustico, &*
Heret.

14

Herennio Senecione narrat TACITUS (b). Quare alios, cautiiores factos, duplē exarasse Historiam, ut PROCOPIUS fecit, (qui publice editæ illi, *Arcanam* postea adjecit) deprehendimus (c). Quamvis denique veteribus testes, ea qua hodie licet, diligentia citare, narrationes suas confirmantes, non liceret, quod libros in capita & paragrapbos distinctos non haberent, nec paginarum numeros, utpote in codicibus minime constantes, indicare valerent; culpa tamen ideo non vacant recentiores, qui suorum temporum bona, lectoribus diligentibus & veritatis inquirendæ studiosis, invident. Cæterum vetustissimam eujusque gentis Historiam, quæ nonnisi traditionibus ac fama, aut ad summum carminibus memoriæ ope propagatis, ntitur, (adeoque corruptioni facile obnoxia fuit) certitudinis laude, recentiori illi æquali ornari non posse, nemō non videt, ipsa rei natura hoc satis commonstrante: scribendi vero arte inventa atque adhibita, haud paullo certior facta fuit Historiæ conditio; unde ipsa, eo tempore (adcurate loquendo) vix antiquior statui potest. Sic vetustis.

(b) Vid. *Annal.* L. IV. C. 34, & *Vita Agricolæ* C. 2.

(c) ZOSIMI Historiam, qui in Christianos Romanorum Principes animum haud æquum sæpe prodit, occulte propagatam fuisse, non temere conjicit GIBBON, *History of the Decline and fall of the Roman Empire* (*Notes to the XXVIII Ch. n. 64* dicens: *His work must have been privately circulated, since it escaped the invectives of the ecclesiastical Historians prior to Euagrius* (L. III c. 40—42), who lived towards the end of the sixth century).

vetustissimæ Historiæ Romanæ fidem, nec nos maximam, aut partibus omnibus firmam esse afferimus, nec ipse LIVIUS (vid. L. 1. c. 1.) præstare ausus fuit. Quod de reliquis gentibus idem valet. Similiter nec de partibus quibusdam Historiæ medii quod dicitur *avī*, fabulis & miraculis commentitiis, barbarie & ignorantiae foetibus deformatae, magnifice sentimus. Cui tempori ortum debet studium, origines gentium hodiernarum ad Trojanos referendi, sataque earum illustrissimis prisci ævi eventibus connectendi, nec nostros Antiquarios olim non vexans: cujus vel fontes aperire, (non difficillime indagandos) vel vanitatem ostendere, instituti jam prohibet ratio.

§. V.

Scriptis monumentis, ubi fides Historiæ superstruitur vel confirmatur, *primum* officium est, quo Scepticorum telis, non pateant, ut γνωστος illorum perite ac diligenter expendatur & demonstretur: quo rite præstito, *deinde* de testis ipsius auctoritate, ac *tum* demum de vera ejus mente (si dubio alicui exposita videatur,) est dispiciendum. Quæ omnia, quantam litterarum peritiam, linguarum ac antiquitatis cognitionem, judicii denique vim exposcant, paucis exponi nequit. Ac quod ad *primum* quidem momentum attinet, habemus jam hujus studii subsidia tam ampla, magistros tam peritos, fundamenta tam firma; ut neque hic dubitationi infinitæ, HARDUINI exemplo, homo prudens indulgere opus habeat. Munierunt nos contra hoc periculum præstantissimi Auctores Diplomatici & Critici,

tiei, artemque regulis exposiverunt ac firmarunt (a). Quæ quamvis ferius quam par fuit, in Historia patris adhiberi cœpisset, nec pauca adhuc accuratius examinanda & constituenda restent; maturam tamen jam apud nos quoque artigisse ætatem, merito contendere possumus. Quæ res sicut ab una parte hoc efficit, ut fraus hominum audacium atque callidorum, spuria pro genuinis monumenta obtrudere posteritati conatorum, nobis non illudat; ita ab altera parte continet nos, ne nimiae dissiden-
tiæ aut suspicionibus indulgentes, justos transeamus limi-
tes, ac sana etiam temere sollicitantes, immensum sce-
pticismi patefaciamus campum, ubi quiescendi aut subsi-
stendi nullus datur locus. Nodos in scirpo querere, ut
oculorum aciem insignem haud prodit; ita dubitationis
intemperantia, imbecilliorem potius quam acriorem judicii
vim indicat: nec voluptatem veram & constantem inveni-
et, qui in diruendi adeo intenti versatur studio, ut ædifi-
candi nullam sibi reliquam faciat potestatem. Ubi memi-
nimus, non ubique summam, in hoc etiam genere,
certitudinem attingi; ubi recordamur, stultum esse majo-
ra concupiscere, quam quæ per naturæ nostræ imbecillitatem
obtinere valeamus; ubi suspiciones cedere argumen-
tis debere, mente perpendimus; ubi dubitationem non
bonum quoddam, propter se appetendum, sed majoris
esse incommodi remedium cogitamus, tum demum ad-
hibendum, cum rationes idoneæ docent, morbum adesse
medicina egenem: facile hic quoque auream illam sequi
regulam discemus, medium tenuere beati.

(a) Vide Auctores laudatos a S. V. ERNESTI, *Archæol. Litter.* P. II, C. III, de *Diplomatibus*.